

bique ipsis fallaciam facerent. Etenim satis superquè compertum est, illos non modo remoras omnes, sed & cuncta, quām maximè Paci adversantia, meditari. Hactenus aperto Marte nos aggressi sunt, nunc Arte operta insidias struunt, & rei sanctissimæ simulatione (prò facinus¹) pulcherrimam Imperii molem, latentibus cuniculis student convellere. Pugnare, bellare, hostilia agere, Hostium est. Belli componendi obtentu, pejora bello agitare, perfidorum. Nusquam gentium simile quid auditum, nisi apud Poenos forte aut Mahometanos, quorum illi quibuscum bellamus, aut Succedanei, aut Socii. Majores nostri, Virtuti omnia prona esse docuere, jamquæ olim apud Tacitum exclamarunt: Nullos mortaliū, armis aut fide ante Germanos esse.* Nos degeneres (pudet dicere!) Bello nos vinci, & Pacis illecebris circumveniri, intermes & incauti patiemur? Si animus ad sit, vires non defunt: ambiguæ, si divisiæ; acres, si conjunctæ. Nos unus populus, unus sanguis sumus, nos gentiles, nos cognati,

* Annal. XIII.